

Specimina pauca, quae vidi, nimis juvenilia sunt ut characteres e floribus et fructu praebeant ad judicandum, an revera specifico distinguenda, an ad varietates *C. leucanthæ* referenda sit. Attamen notae supra allatae potius speciem distinctam indicare videntur. Omnia enim, quae comparavi specimina *C. leucanthæ* Schrad. ex Hispania (Encinillas), Gallia (St. Hippolyte (Gard.) et Tain (Drome) Jord.), et florae Tergestinae (Monfalcone, E. Braig) a nostra recedunt foliis profunde pinnatisectis, margine scabriusculis, calathii junioribus depresso-globosis (magis latis quam longis), squamis periclinii obtusissimis, dorso velutino-puberulis, anguste albomarginatis. — *C. boetica* Boiss. vero staturâ humili, foliis scaberrimis, saepius pinnatifidis etiam abunde distincta esse videtur.

6. *Crepis* (Barkhausia) *Boetica* Lge. Perennis v. (teste Winklero) biennis, radice tuberoso-incrassato subnapiformi, caule fistuloso, monocephalo v. bifido-ramoso, ramis monocephalis, elongatis, sparse nigro- et glanduloso-pilosis, aphyllis v. remote paucisquamatis; foliis laete virentibus, glabris v. pagina superiore margineque sparse et breviter pilosis, radicalibus paucis obovatis v. oblongo-spathulatis, obtusis, a medio ad basin runcinato-dentatis, in petiolum laminâ longiorem subabrupte attenuatis, caulinis sensim minoribus, dentatis, inferioribus in petiolum latiusculum angustatis, *intermediis e basi sagittato-auriculata ovato-lanceolatis v. panduraeformibus, acutis, superioribus et ramos fulcrantibus minutis, lanceolato-linearibus, integerrimis, acuminatis; calathio virgineo erecto; periclinii squamis atroviridibus margine pallidiore, dorso parce nigro-pilosis et passim glanduligeris, calyculi squamis laxè adpressis, inaequelongis, lanceolatis, $\frac{1}{2}$ — $\frac{1}{3}$ periclinii longitudine aequantibus, ligulis saturate luteis, concoloribus, stylis luteis, achaeniis breviter rostratis, cinereo-fuscis, 10-costatis, pappo niveo coronatis.

In silvis ad radices montium Sierra de Palma et Sierra de la Luna pr. Algeciras Boeticae florigeram die 19 Apr. 1873 legerunt cl. R. Fritze et M. Winkler, fructiferam ibid. die 23 Apr. 1876. cl. Hackel et Winkler.

Crepis spathulata Guss.¹⁾ (*Barkhausia* spath. Spreng.) secundum specimina authentica a cel. Todaro missa et descriptionem in Guss. Syn. Fl. Sec. II, p. 412 nostræ hic descriptæ arcte quidem affinis est, sed differentiae plantæ Siculae (folia radicalia numerosa oblanceolata, acutiuscula, sensim, nec abrupto in petiolum laminâ breviorē transeuntia, fol. caulina paucissima, sessilia v. semiamplectentia, non auriculata, „ramis approximatis“, anthodii squamae pilis brevibus albis subhirtæ) tanti tamen momenti esse videntur, ut cum planta Hispanica conjungi nequeat. Rationibus geographicis suspicari licet, plantam a Bourgaeo in monte Picacho de Alcalá lectam et in Prodr. Fl. Hisp. 2, p. 247 nomine *C. spathulatae* Spr. a Willkommio descriptam nec non *Crepides* in flora Gadit. a Willk. lectas et l. c. in not. dubitanter ad *C. spath.* relatas, ad *C. Boeticam* nostram quoque referenda esse, et tunc *C. spathulata* Guss. e flora Hispanica esset delenda. Folia a Willkommio pinnatifida, lobis lanceolatis, sinuato-incisis describuntur, quod in nostrum non quadrat, de radice vero descriptio nihil indicat. Ulterius igitur pl. Winkleriana tam cum Bourgaena quam cum speciminibus Siculis pl. Gussoneanae comparari debet, antequam quaestio de eorum identitate dissolvi potest. Observandum est, *C. spathulatam* teste Gussoneo esse perennem, equidem specimina ad Algeciras lecta quoque perennia dixissem, nisi cl. Winkler in schedula expresse observavisset, plantam suam, ita ut in Prodr. fl. Hisp. l. c. indicatur, esse biennem.

7. *Crepis* (*Barkhausia*) *Hackelii* Lge. Biennis v. perennis, radice crasso perpendiculari, superne vaginis emarcidis tecto; foliis omnibus rosulato-congestis, in petiolum alatum breviter angustatis, runcinato- et lyrato-pinnatifidis, segmento terminali triangulari-hastato, utrinque et imprimis subtus secus nervum dorsalem dense hirsutis; caule abbreviato (in speciminibus, quae vidi

¹⁾ Nomen *Crepidis* *spathulatae* primo a Gussoneo 1821 (Catalog. hort. Boccadifalco) datum est, quod Sprengel 1826 (Syst. veg.) in genus *Barkhausiae* transposuit, quare immerito nomen Sprengelii ut speciei auctoris ponitur, praecipue si *Crepis*, nec *Barkhausia* inscribitur,